

dicta, cuius exigua parte abscessa confarcināt. Cameli etiam foeminae castrantur, cum eis uti in praelio libet, ne concipiant utero. nonnulli superioris Asiae incolae camelos uel ad tria millia possident. Currunt cameli celerius quam equi Nissani, propter laxiorem sui gradus glomerationē, & castrata denique auctiora quam incastrata euadunt. Animalia quibus ruminare in more est, proficiunt, delectanturque non minus in ruminando, quam edendo. Ruminant quae superiore dentium ordine carent, ut boues, oues, caprae. ex feris nullum adhuc ruminare constat, praeterquam ea quae aliquid quando cum hominibus exigunt, ut ceruus. hunc etenim ruminare planum est. Iacent potissimum cum ruminant omnia, & hybernis praecipue mensibus solent ruminare. septem ferē mensibus hoc faciunt, quae intra tecta aluntur. gregales leuius minusque temporis ruminant, quonia foris pascuntur. Sunt etiam ex dentatis utrinque nonnulla quae ruminant, ut mures Pontici, & piscis, quem ab ea re ruminalem quidam appellarunt. Sunt item alui fluentioris ea, quibus longiora sunt crura, sed propensiora ad uomitum, quibus latius pectus est. Idque tum in quadrupedum genere, tum in auium, tum etiam in hominum ita esse magna ex parte perpensum est.

## HISTORIAE ANIMALIVM FINIS.



## ARISTOTELIS DE PART

TIBVS ANIMALIVM ET EARVM CAVSIS, LIBER PRIMVS, INTERP. THEODORO.

Duos esse & contemplandi & docendi praecipue habitus.

Caput I



**N**OMNI contemplandi genere, omnique tum nobiliori, tum ignobiliori docendi uia & ratione, duos esse habitus constat, quorum alterum scientiam rei appellasse, alterum quasi peritiam quandam, bene est. Hominis enim probe periti officium est iudicare perspiciteer posse, quidnam recte, aut non recte ab eo qui docet exponitur. quippe cum & hominem omnino peritum talem esse existimemus, & peritiam ipsam non nisi facultatem huius officij esse statuamus. Sed hunc omnibus ferē in rebus ualere iudicio arbitramur numero unum: illum uero certae naturae alicui delegamus. fieri enim potest, ut rem unam quispiam, ita ut alius omnes possit iudicare. Quamobrem naturalis quoque historiae siue contemplationis limites huiusmodi aliqui poni debent, ad quos iudex modum explicandi referre possit, & approbare semoto illo ueritatis examine, quoniam modo res ita ne, an aliter se habeat. Verbi gratia, utrum substantias singulatim discutiendas coepisse praestet, hoc est naturam hominis, aut leonis, aut bouis, aut alius cuiusquam generatim exponere aptius sit: an rebus subiectis, quae communiter omnibus accidunt, communi usu quodam potius agendum. Sunt enim complura, quae eadem in multis generibus diuersis inter se sint, ut somnus, spiratio, auctio, diminutio, mors. Ad haec, reliqui id genus

genus affectūs, et dispositiōes. Nihil enim adhuc certi explanatiq̄ habet̄r, quod de his dicere possimus: sed cum singulatim agimus, eadem saepe de multis referre necesse est. Nam & in equis, & in canibus, & in hominibus, ea quæ modo dixi, omnia insunt. quapropter qui singulatim agere per accidentia uelit, sæpenumero uerba eisdem de rebus facere cogetur, quæ scilicet eadem animatibus adiuncte sunt specie diuersis. Sunt etiam fortasse, quæ cum eadem sortiatur appellatiōem, discrimine distent speciei, ut animalium incessus: quippe qui specie unus esse minus uideat̄. discrepant enim inter se uolatio, natatio, ingressio, reptio. Quam ob rem quonam modo tractandum sit, latere non cōuenit, utrum inquam cōmuniter primum per generis complexionem, post uero res proprias considerare oporteat: an protinus quæq̄ persequi singulatim rectius est, non enim de hac re adhuc præfinitū est. Nec illud confessum est, utrum, ut mathematici rem suam cœlestem demonstrare consueuerūt, sic homo rerum naturalium studiosus, primū quæ patent in animantium genere, partesq̄ singulas explorare, deinde causam quam ob rem ita sint reddere debeat: an secus agendū sit. Ad hæc, cum plures causas generationis naturalis esse uideamus, scilicet eam, cuius gratia res gignantur, atq̄ eam, unde mouendi principium sit: definiendū de ijs etiam est, quænam prima, quæ secunda haberi debeat. Principatum sanè illa obtinere uidetur, quæ sub hoc uerbo, cuius gratia significamus, hæc enim ratio est. ratio autem principium est pariter in rebus, tam arte, quam natura constitutendis. Vbi enim uel per intellectū, uel per sensum medicus sanitatem, opifex ædes definierit, rationes & causas rei, quam facit, reddere solet: & cur ita faciat, subiungit. quanq̄ illa, cuius gratia, causa, & ratio boni & pulchri, naturæ operibus potius, quam artis coniuncta est. Necessitas uero non æque in rebus naturæ omnibus inest, ea uidelicet, ad quam omnes ferè autores rationes referre tentat prius, quam doceant, quot modis accipi necessariū debeat. Inest idipsum rebus quidem æternis simplici, absolutaq̄ ratione: sed caducis etiam gignendisq̄ omnibus ex suppositiōe tribuitur: quomodo in artificiosis, ut ædibus, & quibusuis alijs generis eiusdē. Materiam enim talem adesse necesse est, si domus, aut quiuis alius finis futurus sit: atq̄ etiam fieri, moueriq̄ illud primū oportet, deinde hoc, ac deinceps ad hunc modum itur ad finē, cuius gratia res quæq̄ & efficitur, & est, eodemq̄ modo in rebus quoq̄ natura gignendis agitur, quanq̄ demonstrandi modus, necessitatisq̄ ratio, in naturali doctrina diuersa atq̄ scientijs speculatiuis est. dixi de his alio loco. principium enim alteris quod est, alteris quod erit, accommodatur. Quod enim talis sanitas, aut homo, hoc uel esse, uel factum iri necesse est, non quia hoc uel est, uel fuit, illud necessario uel est, uel erit, neq̄ huiusmodi demonstrationis necessitatē ita perpetuitati annectere possumus, ut dicere liceat hoc esse, quoniam illud est. sed de his etiā alio loco disputatū à nobis est, & quibus in rebus id liceat, & quæ possint reciprocari, & quam ob causam. Latere autē ne illud quidem oportet, an ita agendū, quemadmodū priores autores, qui, quomodo res quæq̄ fieret, quam quomodo esset, tractare maluerūt. non enim inter hæc parum interest, sed enim exordiendū quod dictum iam est, ut primū res persequamur, quæ quoq̄ in genere cōspectiores, promptioresq̄ habentur. deinde causas reddamus, et generationē. hoc enim in ædificijs etiam potius euenit. quod enim forma ædiū talis est, aut quod tales sunt ædes, idcirco fieri ædes hunc potius in modum censemus. generatio enim substantiæ gratia est, non substantia generationis gratia. Quam ob rem Empedocles pleraq̄ in animalibus propterea ita cōtineri, quia ita, cum orirentur, acciderit, male ait: ut & spinam haberi talem, quod per contortionē disiungi, frangiq̄ accidit: nescius & quæ semen genitale, quod cōstiterat, uim talem habere oportet, & quam res, quæ effecerat, prior esset nō modo ratione, uerū etiam tempore. Gignit etenim homo hominē, itaq̄ ortus talis euenit

specie, quoniã talis qui gignit est. Quinetiã de ijs, quæ sponte fieri uidentur, pariter atq; de artificiosis animaduertere licet. Nonnulla enim uel sponte eadem quæ arte, fieri possunt, ut sanitas. His igitur causa efficiens similis antecedit, necesse est, ut ars condendarũ statuarũ prior statuis est, quãdo sponte fieri nequeunt. Artem autẽ operis, esse rationẽ omni abiunctã materia certũ est. Fortuitis quoq; ratio similis est: ut enim ars se habet, ita existunt. Quam ob rem censendũ ita potissimũ, ut ob eam rem membris his homo constet, quia hoc homini esse est. Non enim fieri potest, ut sine his membris homo sit: sin minus, proximũ tamen aliud quicq; opinandũ, & uel omnino fieri aliter non posse, uel bene ita fieri tantũ posse statuendum. Cum itaq; talis res sit, generationẽ in hunc modum, talemq; euenire necesse est. Quapropter membra non sine ordine oriuntur: sed primũ hoc, deinde illud, atq; in hunc modũ omnia, quæ natura cõsistunt, disponũtur. Veteres igitur illi & primi naturæ interpretes, materiale principiũ, atq; eiusmodi causam, quænam, qualisq; esset, indagauerunt: & quonã pacto hinc tota orirẽtur, & quo mouente, ut discordia, & cõcordia, aut mente, aut casu, temeritateq; spontina docuerunt: cum subiecta materia talem quandam præ se ferre naturã uideretur, ut feruidam ignis, gelidam terra, & alter leuem, altera grauem, sic enim mundũ etiam generant, hæc eadem de ortu plantarũ & animalũ quoq; referunt. Ventrem enim, aluũ, omneq; cibi & excrementi conceptions, ita cõstitisse, cum in corpore humor laberetur & rueret. nares ex rupto patuisse, cum spiritus siue flatus transmearet atque dispelleret. At uero aër & aqua non nisi corporũ materia est. naturã enim omnes ex ijs corporibus componũt atq; constituũt. Quod si homo, cæteraq; animalia, membraq; eorum natura constet, dicendũ profectò de carne, de osse, de sanguine, deniq; de omnibus tam simili, quã dissimili strue compactis: ut de facie, de manu, de pede, qua quodq; eorũ tale sit, & qua ita constent facultate siue uirtute. non enim satis est eatenus tantũ nosse, quibus ex rebus compositũ sit, ut igne, terrãue: sed perinde agendũ, ut si de lecto, aut de quolibet alio generis eiusdem ageretur, formam enim potius, quã materiã eius declarare tentaremus: ut æs, aut lignũ: uel si id minus, totius quidem ipsius speciem non ommitteremus. lectus enim hoc in hoc est, aut hoc tale est. Quocirca uel ipsam figuram explanari, qualisq; forma sit, indicari congruit. quippe cum formæ natura potior sit, quã materiæ. Igitur si animalũ membrorũq; unumquodq; figura, coloreq; est, recte Democritus differit, qui ex ijs ipsis putasse animalia constare uideat. quippe qui perspicuũ esse dicat, qualis forma sit homo, quasi sua ipse homo figura, coloreq; pateat. Atqui mortuus homo, quanq; figuræ formam habet eandem, tamen homo non est. Ad hæc, fieri nõ potest, ut manus sit quocunq; modo constans, ut aenea, aut lignea, nisi æqui uoca nominis cõmunionem. sicut quæ picta est, utpote quæ suo fungi officio nequeat. quomodo nec lapideæ tibiæ suũ assequi munus possunt. necq; medicus pictus artem medicinalem exercere potest. pari ratione membrorũ quoq; hominis uita functi nullũ id esse in super potest, quod erat, cum uiueret: ut oculus, manus, pes, reliqua. Ergo simplici admodũ & pingui minerua dictũ hoc est, ac perinde quasi faber de lignea manu loqueret. Sic enim naturæ illi exploratores ortus & causas referunt figurarũ, à quibus enim facultatibus condita fuerint, exponũt. Itaq; faber securim fortasse, aut terebrũ diceret: illi terram & aërem. sed melius faber, ut qui parum sufficere arbitretur, si usq; eò dicat, quod instrumẽto incidente, partim caua, partim plana extiterunt: sed adijciat, quoniã talem adegerit ictum: & causam, cur ita, exponat, uidelicet, ut talem aut talem formam opus acciperet. Constat igitur nõ recte illos differuisse, atq; animal tale esse dicere oportere, & quid, qualeq; tum id ipsum, tum etiam membrum unumquodq; explicari oportere, quomodo de forma lecti docendũ est. Ergo si animal, uel anima, uel pars ani-

ma, uel non sine anima est. quamprimū enim à corpore anima discessit, animal esse  
 definit, neq; membrum ullum nisi figuræ suæ ratione idem relinquitur, modo eos  
 rum, quæ tabulæ transisse in lapidem narrant. si hæc, inquam, ita statui debent, ho-  
 minis naturæ studiosi sanè interest de anima & differere & scire. & si non de omni  
 anima, tamen de ea ipsa, quæ tale animal est, & quidnam anima, aut certe pars ista  
 animæ sit: atq; etiam de ijs, quæ tali eius substantiæ accidant. præsertim cum bifariã  
 naturam intelligamus, ut altera pro materia sit, altera pro substantia. quæ quidem,  
 & ut mouens, & ut finis est, talisq; animalium anima, uel omnis, uel pars aliqua eius  
 sit. Nam ob eam etiam rem, qui de natura agit, eo amplius docere de anima, quàm  
 10 de materia debet, quo materia natura potius per animam, quàm econtrario est. li-  
 gnum enim, & lectus, & tripes, propterea est, quia idem potētia illa est. Sed quæret  
 quispiam, animaduertēs ad id, quod modo dixi: Vtrum de anima omni docere na-  
 turalis scientiæ intersit, an de aliqua una. at si de omni, nulla certe præter naturalem  
 philosophiam relinquetur scientia. intellectus enim, siue mens, rerum intelligibiliū  
 est, itaq; rerum omnium notiones naturalis una tenebit. Est enim eiusdem scientiæ,  
 ut tam de intellectu, quàm de re intelligibili doceat: siquidem eadem contemplatio  
 omnium est inter se coniuictorum, sicut sensus etiam, & rei sensibilis. An non o-  
 mnis anima principiū motus est: neq; partibus animæ omnibus id tribui debet, sed  
 augendi principiū idem putandum, quod & in plantis, est, alterandi uim eandem,  
 20 quàm sentiendi: deferendi autem aliud quicquā, non uim intelligendi: delationē  
 enim uel in ceteris esse animalibus nouimus, intellectū siue mentem in nullis. Con-  
 stat igitur non de anima differere omni oportere: quandoquidē non anima omnis  
 natura est, sed aliqua eius pars una, aut etiam plures. Ad hæc, rem à materia abstra-  
 ctam nullam potest scientia naturalis cōtemplari. cum natura rei alicuius gratia fa-  
 ciat omnia. rebus autem abstractis abiunctū, id est, quod sub hoc, cuius gratia, uer-  
 bo intelligimus. ut enim ars in artificiosis, ita in rebus ipsis aliquod esse principium  
 aliud, & talis causa uidetur, quā ex uniuerso perinde ut caloris, frigorisq; primor-  
 dia habemus. Quamobrē uerisimilius dixerim cœlum & factum esse ab eiusmodi  
 causa, si factū est, et magis esse ob eam causam, quàm animalia caduca atq; mortalia.  
 30 ordo enim, & ratus certusq; status, longe magis in rebus patet cœlestibus, quàm in  
 nobis. incerta autem, inconstans, & fortuita conditio in genere mortali potius est.  
 At illi genus animalium quodq; natura constare, extitisseq; censent. Cœlum autem  
 forte sponteq; tale constituisse uolunt, in quo nihil fortunæ, nihil temeritatis depre-  
 hendi potest. Rem autem hanc esse illius gratia asserere ubiq; solemus, quoties fi-  
 nem intelligimus aliquem, in quem motus (si nulla res prohibet) terminetur. quo-  
 circa eiusmodi aliquid esse constat, quod naturā uocamus. non enim quodlibet, &  
 utcunq; fors tulit, ex quouis semine oritur, sed hoc ex hoc, neq; ex corpore quoli-  
 bet semen quodlibet prodit. principiū nanq; & efficiens rei, quæ gignitur, semen  
 est. sunt hæc enim natura, & proinde ex hoc enascuntur. Atq; etiam priusquā hoc,  
 40 illud est, unde semen expromitur. Semen enim ipsum generatio est, finis uero sub-  
 stantia. utrisque autem his prius illud est, à quo proficiscitur. semen enim bifariam  
 accipitur, uidelicet ex quo, & cuius. nam & à quo decessit, eius semen est, ut equi:  
 & eius quod ex illo futurum est, ut muli. uerum non eodem modo, sed ut dictum  
 iam est. Ad hæc, semen non nisi potentia est. Potentia autem quemadmodum ad  
 actum se habeat, nouimus. causæ igitur hæc sunt duæ numero: altera cuius gratia,  
 altera ex necessitate. multa enim gignuntur, quia necesse est. Sed quæret fortasse  
 quispiam, quam necessitatem intelligi uelint, qui res fieri necessariò aiunt. neuter  
 enim accipi potest eorum modorū, qui præfiniuntur in ijs, quæ per philosophiam  
 tractata sunt. Tertius autem ijs, quæ habent generationē rebus est, alimentū enim

neutro illorum modorū esse dicimus necessarium; sed quia fieri non potest, ut res sine eo sit, ideo necessitatem ei adscribimus, quod quasi ex suppositione est, ut enim quia securi scindendum sit, durum aliquid esse necesse est; & si durum, uel æneum, uel ferreū: ita cum instrumentū sit corpus (est enim tum membrū unūquodq; rei alicuius gratia, tum uero totum ipsum) efficitur profectò, ut esse tale atq; ex talibus constare necesse sit, si illud cuius gratia ipsum est, futurū sit. Constat igitur duos esse causæ modos, ac potissimū utrunq; assequi uerbis oportere, sed si minus id fieri potest, tamen pro uiribus eniti ad eius significationē, omnesq; nihil ferè de natura docere, qui hoc non dicunt, existimare. Principiū enim rerū natura potius, quàm materia est. Empedocles etiam in eam interdum incidit, ductus ab ipsa ueritate; & substantiā atq; naturā esse rationē fateri cōpellitur: ueluti cū os quid sit, reddit, quippe qui non aliquod elementū unum esse id uelit, non duo, aut tria, non omnia, sed mixtionis elementorū rationē. Igitur & carnem & cæteras eiusmodi partes hūc eundem in modū esse apertū est. Causa uero quamobrē antiquiores illi autores non ad hunc uenerint modum, quod quid res esset, atq; substantiæ definitionē ipsam explicare haudquaq; solebant. Sed Democritus hanc tetigit primus, nō tamen quod ad rerum naturalium studiū putauerat necessariā, sed quoad ab ipsa retraheretur. Socratis uero tēporibus usus quidem definiendi increuit, sed indagatio rerū naturalium desijt. nam omne philosophandi studiū ad utilem uirtutē, ciuilemque usum translātū est. Licet quod modo dixi, ita demōstrare. Data animalibus spiratio est huius gratia rei, sed eam propter has effici res necesse est. necessitas uero aliās ita significat, ut si res cuius gratia futura sit, hæc haberi necesse sit, aliās ita, ut sic se habeant, aptaq; sua natura ita sint. egredi enim calorem, rursusq; ingredi, cum in re obuia offendatur, aëremq; interlabi necessariū est. Sed cum aër exterior refrigerando retorquet, ingressus atq; egressus caloris interioris rei alicuius gratia agitur. Hic modus tractandi est, hæc ad id genus doctrinæ uia & ratio attinet, hæc & eiusmodi sunt ea, quorū causas accepisse operæpretium esse ducimus.

*ἐκπερόμενος,*  
*retraheretur,*  
*impelleretur.*

*Contra eos, qui genus singulare in duas diuidunt differentias.*

Caput II

**V**nt uero, qui genus in duas secando differentias accipiant singulare, quod quidem partim non facile, partim nullo pacto fieri potest. non enim desunt, quorū una tantū sit differentia. cætera autē superuacua sint. uerbi gratia: pedatū, bipes, fissipes, multifidū. hæc enim una potissima est. sin minus, sæpius idem dici necesse erit. Ad hæc, genus quoduis distrahi nō debet: ut, exempli gratia, aues aliæ in hoc, aliæ in illo diuisionis membro collocētur, quod æditæ illæ diuisiones faciunt, quippe cum ita fiat, ut auium alię cum aquatilibus constituātur, aliæ in alio ponantur genere. Sed ut nomen huic similitudini auis, illi piscis inditū est, sic aliæ sunt quæ nomine uacent, ut illa compos sanguinis, aut expers. utraq; enim nomine uno carent. Quod si nihil ex ijs quæ generis societate iungūtur, distrahi debet, frustra illa seorsum in duas partes distinctio agitur, cum seiungi ac distrahi sit necesse, si ita diuidatur. Sunt enim ex multipedibus alia in terrestri, alia in aquatili genere.

*Contra eos, qui differentias per priuationes diuidunt.*

Caput III

**P**riuatione item diuidere ita necesse est. Et quidem id faciūt, qui seorsum in duo secant. At priuationis, qua priuatio est, nulla est differentia, non enim fieri potest, ut species eius sit, quod non est: uelut impediti, aut impennati, sicut pennati & pedati. Differentia autem uniuersalis species habeat, necesse est. nam nisi habeat, cur uniuersalibus potius adnumerari, quàm singularibus debeat. Sed quanq; sunt differentiæ quæ uniuersales



sales sint, & species habeant, ut pennatus, cum pennarū alia fissa, alia continua sit. pedatus etiā partim multifidus est, partim bifidus, quod in bisulcis animalibus patet: partim continuus nulla fissura diductus, qualis eorum est, quæ solidam habent unguam. tamen difficile est, uel in eiusmodi differētijs, quarū species sunt, dispar-  
 tire, ut quoduis animal contineatur in ijs ipsis, nec idem in plures ueniat, ut pennas-  
 tum & impennatū. ambo enim hæc in eadem specie possunt contineri, ut formica,  
 ut nitedula siue cicindela. & alia quædam utrunq; recipiunt. omnium uero diffici-  
 limum, imò impossibile est, ut in ea quæ sanguine carent, ita diuidamus. differen-  
 tiam enim unamquancq; in aliquo singulari inesse, & proinde oppositā necesse est.  
 10 Quod si fieri non potest, ut ijs, quæ specie inter se differunt, species aliqua substan-  
 tiæ indiuidua, unaq; insit, sed differentiam intercedere necesse est, ut auis ab homi-  
 ne differt. bipedis enim ratio alia diuersaq; est. uel si sanguine constant, sanguis di-  
 screpat ipse, nisi pro nulla essentia parte debeat haberi. sed si hoc ita est, differentia  
 una duobus inerit. Quod si ita sequetur, apertum iam est impossibile esse ut priua-  
 tio sit differentia. Quinetiam totidem differentia erunt, quot animalia indiuidua.  
 siquidem & ea ipsa indiuidua sunt, & differentia indiuidua. neque ulla differentia  
 cōmunis est. Quod si ita fieri potest, ut non cōmunis, sed indiuidua sit, constat quæ  
 diuersa sunt specie animalia in eodem, per illam quidem cōmunem contineri. Itaq;  
 necesse est, ut si propriae sint differentia, in quas omnia indiuidua cadant, nulla cō-  
 20 munit sit, sin minus, quæ diuersa sunt, uenient in eandem: cum neq; indiuiduum  
 idem, diuersas per distinctionē adire debeat differentias, neq; diuersa eandem, atq;  
 omnia in ijs ipsis oporteat contineri. species igitur indiuiduas colligi ita non posse,  
 ut diuidunt qui animalia, aut quoduis aliud genus seorsum in duo secant, apertum  
 iam est. fit enim autoribus illis, ut ultimas differentias totidem esse, quot animalia  
 omnia indiuidua specie necesse sit. Cum enim genus aliquod sit, cuius differentia  
 primæ album & nigrum habeantur, atq; eorum utrorunq; alia sint, itidemq; ulte-  
 rius usque ad indiuidua, efficitur profectō, ut ultimæ, aut quatuor, aut aliquo nu-  
 mero eliciantur, uidelicet qui ab uno multiplicari possit. Totidem autē species quo-  
 que erunt, cum differētia species sit in materia. neq; enim sine materia pars ulla esse  
 30 potest animalis, neque sola materia. non enim quoquo modo habens quid, corpus  
 animal est, nec partium ulla, ut sapius dictum est. Ad hæc, diuidendū ijs rebus est,  
 quæ sitæ in substantia sunt, non ijs quæ accidunt, ut si quis ita figuras diuidat, ut alia  
 angulos pares duobus rectis, alia pares pluribus habeant. accidit enim triangulæ  
 figuræ, ut pares duobus rectis angulos habeat. Oppositis item diuidendum est. di-  
 stant enim inter se opposita omnia, ut albedo & nigredo, ut rectitudo & curuitas,  
 quod si altera diuersa sunt, diuidendū per opposita est, & non ita, ut alterum nata-  
 tione, alterum colore distinguatur. Animata etiam cōmunibus corporis & animæ  
 muneribus diuidenda sunt. quod in ijs etiam quæ modo diximus, patet. Alia enim  
 gressilia sunt, alia uolatilia. Sunt enim nonnulla genera, quibus datum utrunq; est,  
 40 ut partim uolucres, partim inuolucres sint, uelut formicarū genus. atq; etiam sylue-  
 stris urbanicq; ratione ita diuidetur, qd error est. fit enim, ut quæ specie sunt eadem,  
 hæc distinguere uideamur. Cum omnia quæ urbana sunt, eadem syluestria quoq;  
 reperiantur, ut homines, equi, boues, canes in terra Indica, sues, capræ, oues. quæ si  
 æqui uoca sunt, non seorsum distincta sunt. sed si eadem specie unūq; sunt, iam fieri  
 non potest, ut syluestre atq; urbanū pro differentijs recte capiātur. Omnino quan-  
 cunq; differentiā diuidis, una tantum diuisione id accidere necesse est. Quapropter  
 generatim sumere animalia tentandū est, ut à uulgo iam autore distinctū est genus  
 auis, piscis, ceterorū quæ singula multis differentijs describuntur. nec bipartita illa se-  
 ctione agendum est. Sic enim aut omnino fieri nō potest, ut institutū assequamur,  
 Alia...

cum idem in plures cadat diuisiones, & contraria ueniant in eandem, aut una tantū proueniet differentia, quæ uel simplex, uel per complexionē speciem ultimā referat. sed si non differentia differentia accipis, diuisionem effici continuam perinde ut orationem coniunctione unam necesse est. uerbi causa, occurrit ijs qui ita diuidere cōsueuerūt aliud pennatū, aliud impennatū. pennati aliud urbanū, aliud syluestre: aut aliud album, aliud nigrum. non enim differentia pennati urbanum, album uel est: sed hoc principium est alterius differentia. impennato autem per accidens est. Quamobrem pluribus diuidendum protinus differentijs quod unum est, ut nos censemus. Sic enim priuationes differentiam facient, quam in bipartita sectione facere nequeant. Apertum uel inde est, fieri non posse, ut ex singularibus speciebus quicquam accipiamus, bipartita generis sectione. & quidam fieri posse putarunt. Impossibile est enim unam differentiam esse eorum, quæ ut singula diuisionem recipiunt, siue simplicia, siue complexa accipiantur. simplicia dico, si non habeant differentiam, qualis fissipedatio est. complexa autem, si habeant, ut multifidum ad fissipes est. id enim illa sibi uult continuatio differentiarū, quæ de genere per diuisionem deducuntur, perinde quasi quid unum omnis hæc series referat. quanquam uocabulo euenit, ut ultima tantum differentia esse uideatur, uelut multifidum, aut bipes. pedatum autem & multipes superuacua sint. At uero plures huiuscemodi differentias haberi non posse constat eo argumento, quod cum pergis subinde, deuenies quidem ad ultimā differentiam, sed non ad summam, & speciem: quæ quidem differentia, uel fissipes tantum est, uel omnis complexio. uerbi gratia, si hominem diuidens pedatum, bipes, fissipes componis. At si homo bipes tantummodo esset, hæc differentia una sufficeret. Sed quoniam hæc una non est, multas esse non sub una diuisione necesse est. Atqui fieri non potest, ut plures eiusdem sub bipartita una sint sectione, sed singulae singulis finiant necesse est. itaq; fieri quoq; non potest, ut per bipartitam illam diuisionem, aliquod singulare animal accipiamus.


## De genere &amp; specie. Caput IIII



Ed quæret quispiam, cur principio homines non cōplectendo appellarint nomine uno generis, quod bestias tum aquatiles, tum uolucres contineret. Sunt enim nōnulli affectus, tum his, tum cæteris animalibus omnibus cōmunes. Verū tamen recte ad hunc modum definitū, distinctumq; est. genera enim quæcunq; excessu inter se differant, & plus, minus uel recipiant, hæc unī subiecta sunt generi. quæ autem proportionē recipiunt, hæc seorsum posita sunt. uerbi gratia: Auis differt ab aue, aut eo quod magis habeat quicq; aut superantia ratione. aues enim alia penna sunt longiore, alia breuiore. Pisces uero proportionē ab auibus differūt. quod enim penna in auibus est, hoc idem squama in piscibus habetur. uerū id facere in omnibus non facile est. magna enim pars animalium eadem affecta est proportionē. sed cum ultimæ species substantia sint, quæ quidem species nullo speciei discrimine differant, ut Socrates, Coriscus, efficitur profectō, ut uel uniuersalia explicari prius, uel idem sepius dicere necesse sit, ut dictum iam est. Vniuersalia uero cōmunia sunt. quæ enim in pluribus insunt, hæc uniuersalia appellamus. Sed quæstio existit, ultra tandem tractari debeant. qua enim substantia est id, quod specie indiuiduū est, potissimum dixerim fore, si quis de singulis indiuiduis specie seorsum considerare potuerit. atq; ut de homine, ita de auibus esse agendum. habet enim hoc genus species, sed non de ijs, uerum de singulis indiuiduis auibus, ut de passere, de grue, de reliquis huiuscemodi. sed si ita eueniet, ut sæpe de eodem dicatur affectu (quoniam cōmunis pluribus sit) efficietur sanē, ut seorsum referre de singulis, & subabsurdum sit, & prolixum. Cæterum

terum scite fortasse agetur, si quæ ad genera attinent, ea cõmuni negotio explicemus: uidelicet quæ recte ab hominibus definita dicuntur, quæq; naturam sortiuntur cõmunem, & species non longe inter se differentes complectuntur, ut auis, ut piscis, & si quid aliud sit nomine quidem uacans, sed genere pari modo species continens. Quæ autem non eiusmodi sunt, hæc singillatim doceamus, ut de homine, & si quid aliud tale habeatur. Genera autem si quam similitudinẽ præ se ferant, figuris ferè partium, totiusq; corporis describuntur: quale genus auium, aut piscium est. mollia etiam atq; ostrea figurarũ affinitate sua genera describunt. Partes enim eorum non proportionis similitudine discrepant, quomodo os hominis, & spina piscis, sed potius affectionibus corporis, id est magnitudine, paruitate, mollitie, durtate, lenitate, asperitate, & reliquis generis eiusdem: atq; omnino eo quod magis, minus ue quicquam habeant. Sed quemadmodũ ratio tractandæ naturæ probari debeat, utq; de ijs rebus uia apta, facilimeq; contemplari docereq; possimus, atq; etiam de diuisione, quem in modum fieri possit, ut commode species sumantur, & quàm bipartita sectio partim fieri nequeat, partim frustra fiat, dictum iam est. Quæ cum iam præfinita explicataq; sint, de ijs quæ deinceps sequantur agamus, indeq; ordiamur.

De substantijs naturalibus, partim mortalibus, partim immortalibus. Cap. V

20  Vbstantiæ quæ natura constant, partim ingenitæ, immortalesq; seculis omnibus sunt: partim ortus participes, atq; interitus intelliguntur. sed partem illam æternam, & proinde nobilem ac diuinã minus contemplari propterea possumus, quod admodũ pauca illius modo sensui patent. quorum beneficio, tum de ea ipsa parte diuina, tum de ijs quæ nosse cupimus, facultas nobis cogitandi indagandiq; suppeditetur. Res mortales atque caducas, ut stirpes, ut animantes, quod eas socias familiaresq; habemus, nosse uberius possumus: quippe cum multa inesse quoq; in genere percipere possit, quicunq; nõ laborem recusat pleniorẽ, utrunq; tamen studium nos delectat. Res nanq; illas superiores, tametsi leuiter attingere possumus, tamẽ ob eius cognoscendi generis excellentiã amplius oblectamur, quàm cum hæc nobis iuncta omnia tenemus: quemadmodũ quamlibet partem, minimamq; corporis nostrarũ puellæ deliciarũ uidisse gratius ac iucundius est, quàm ceterorũ hominum membra tota perspexisse, & contrectasse. At hæc inferiora, quia & plura sunt, & cognosci plenius possunt, idcirco præstantiam sibi scientiæ uendicant. Quinetiã quod & nobis propiora, & naturæ familiariora sunt, hinc aliquid cum rerum diuinarũ studio respondent, atq; compensant. Sed cum iam satis de illis egerimus, nostramq; explicamus sententiã, restat ut de animante natura differamus, nihil pro uiribus omitentes, uel uilius, uel nobilius. nam & in ijs, quæ hoc in genere minus grata nostro occurrunt sensui, natura parens & autor omniũ miras excitat uoluptates hominibus, qui intelligunt causas, atq; ingenue philosophantur. absurdum enim, nullaq; ratione probandum est, si imagines quidem rerum naturalium, non sine delectatione propterea inspectamus, quod ingenium unã contemplamur, quod illas condiderit, id est, artem pingendi, aut fingendi. Rerum autem ipsarum naturæ ingenio, mira q; solertia constitutarũ contemplationẽ non magis persequamur atq; exosculemur, modo causas perspicere ualeamus. Quam ob rem uiliorum animalium disputationem perpensionemq; fastidio puerili quodam spreuisse, molesteq; tulisse dignum nequaq; est, cum nulla res sit naturæ, in qua non mirandum aliquid inditũ habeat. Et quod Heraclitũ dixisse ferunt ad eos, qui cum alloqui eum uellent, quod forte in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem uidissent, accedere temperarunt,

30

40



ingredi enim eos fidenter iussit, quoniam, inquit, ne huic quidem loco dii defunt  
 immortales. Hoc idem in indaganda quoque natura animantium faciendum est. Ag-  
 gredi enim quaeque sine ullo pudore debemus, cum in omnibus naturae numen, &  
 honestum, pulchrumque insit ingenium. Quippe cum naturae operibus iunctum illud  
 praecipue sit, ubi nihil temere, uiceque fortuita committatur, sed alicuius gratia omnia  
 agantur, finis autem, cuius gratia quicquid uel constat, uel conditum est, boni, hone-  
 sti que obtinet rationem. At uero si quis caeterorum animalium contemplationem igno-  
 bilem, abiectamque putat, iam hic de se quoque idem arbitrari debet. Non enim fieri  
 potest, ut ea sine magna abominatione inspiciamus, ex quibus corpus constat hu-  
 manum, ut sanguinem, carnem, ossa, uenas, reliqua generis eiusdem. Omnino ita cen-  
 sendum, ut qui de quauis corporis parte, aut de uase aliquo disputat, non de mate-  
 ria, aut eius materiae gratia doceat, sed formae totius ratione. sicut & cum de aedibus  
 agitur, non de lateribus, non de luto, non de lignis, sed de forma ipsarum aedium do-  
 cemur. Pari ratione, qui de natura agit, de compositione, totaque substantia tractet,  
 non de his, quae nunquam euenit ut a substantia separentur, sed primum ea distingui  
 singulis in generibus necesse est, quae per se animalibus accidunt omnibus, post ue-  
 ro causas persequi eorum conandum est. Quod igitur ante diximus, multa in mul-  
 tis animalibus insunt communia, partim simplici ratione, ut pedes, pennae, squamae,  
 atque etiam affectus similiter: partim proportione. proportione inquam, quod alijs  
 pulmo datus est, alijs pulmo quidem negatus, sed uice pulmonis iunctum aliquid  
 est, quod pulmoni respondeat. alijs item sanguis inest, alijs sanguinis proportio-  
 nis, quod eandem in genere exanguis obtinet uim, quam sanguis in compote illo san-  
 guinis habet. Verum si seorsum de singulis disputetur, eueniet quod dictum iam est,  
 ut saepe eadem iterentur, dum de omnibus quae adiuncta sunt agitur, quippe cum  
 eadem compluribus iuncta habeantur. Haec ita placeat praefiniri, & statui. Cum  
 autem instrumentum omne rei alicuius gratia sit, & partes corporis quaeque gratia esse  
 alicuius uideamus, id autem ipsum esse alicuius gratia, non nisi pro aliqua actione  
 sit, patet iam totum etiam corpus constare alicuius gratia actionis plenioris. Non enim  
 sectio, ferrae gratia facta est, sed sectio sectionis gratia, cum sectio quaedam usio sit.  
 Quapropter corpus etiam totum animae gratia conditum est, & membra officiorum  
 gratia constant, & munerum, ad quae singula accommodantur, primum igitur actio-  
 nes, tum omnium communes, tum eas quae suae singulis generibus, speciebusque ha-  
 beantur, exponi oportebit. communes dico, quae adiunctae omnibus sunt animalibus.  
 suas autem propriasque appello, quarum differentias per excessum, siue superan-  
 tiam comparando accipimus. Verbi gratia: Auem pro genere pono, hominem pro  
 specie, & quodcumque ratione illa uniuersali, nullam differentiam recipit, nam alia pro-  
 portione, alia genere, alia specie rationem complent communitatis. Quorum itaque  
 actiones rerum aliarum gratia dispensatae sunt, haec etiam quorum sunt actiones, modo  
 eodem inter se differunt, quo actiones. Item si quae priores sint actiones, & pro fine  
 aliarum capiuntur, quo modo ipsae se habent, eodem membra etiam habent, quorum  
 illae sunt actiones. Adde tertium, quae cum sint, aliquid inesse necesse est, affectus  
 & actiones intelligi uolo, ortum, incrementum, coitum uenerium, uigiliam, somnum,  
 incessum, & quaecumque huiusmodi alia possunt generi animalium tribui. membra  
 appello nasum, oculum, atque etiam totam faciem, quae partes quoque uocamus.  
 pari modo de caeteris item intelligendum est. Sed de modo, uiaque tractandi  
 haecenus, causas nunc explicare, tum communium, tum propriorum  
 conemur, exorsum a primis, sicut statuimus.